



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Tertius. Quod dein totum compositum hominis colliquescat in  
vnum, cum diuina voluntate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

percipiat, cuius anima non prius omnem escam abominata fuerit, & quidquid te summum Bonum non purè sapit, in nauseam conuerterit: non quidem intenso cruciatu dolens, ut prius; sed magis lachrymofa distillatione contestans, quia ille est, qui electus ex milibus adherere fecit animam suam post ipsum. & certè, nec omnia ista adhuc ad perfectam dispositionem modi operandi supernaturaliter sufficere, ex sequentibus constabit: unde dicimus;

*Quod dein totum compositum hominis  
colliquefcet in vnum, cum diuina  
voluntate.*

#### ARTICVLVS TERTIVS.

**A**dhuc vnum a modicum est, & ego commouebo cælum, & terram & mare, & aridam. ac si diceret: o pia anima, sicut ad depurationem amoris necessarium est, ut à summo status contemplationis descenderes, vsque ad inferiora quæque, & præhabitis fruitionibus destituereris; ac in medio priuationis, susque, deque agitareris varijs animi passionibus, quousque in te reuelarentur fundamenta orbis terrarum, & omnes abominaciones cordis tui tibi clarè paterent. ita tandem iam in fine, cælum intellectualis viuacitatis, & terra amicabilis voluntatis, pro vltimo quoque depurari debent: quousque simul mare, & arida, ac omnes potentia in vnum colliquefcant, confluantque in

a Agg. 2. b Job 6.

pulchram imaginem, & Deo dignam habitationem; nihilque amplius adster, quod supernaturalis amoris vnionem præpediat. cum ergò hoc loco expleuerit inte omnem voluntatem suam omnipotens, qui conturbauit te; ipse quoque, emolliet cor tuum, & auferens cor lapideum, dabit cor carneum. nunquid enim in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem obliuiscetur misereri Deus, aut in ira sua continebit misericordias suas? haudquaquam profectò, hinc enim sponsa Christi dicit; anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est; ac si diceret: statim, ut locutus est, qui prius scilicet in tam pænosa sui absentia, & durissimæ luctæ tolerantia sese absconderat, ita, ut in tenebris spiritus mei, & mystico progressu perijsse viderer; statim, inquam, ut locutus est, molliuit cor meum omnipotens, qui conturbauit me; & cognoui verè, quod nihil sit mundum in conspectu eius, quodque nihil coinquinatum possit intrare in regnum cælorum, nec eius familiari consortio frui in terra; nisi prius transierit per ignem & aquam, ut argentum purgatum septuplum, & aurum in camino tentationis. Quis igitur mihi det ut veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi Deus, & qui cepit ipse me conterat, solnat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti; sed in toto me, & in omnibus animæ visibus



viribus sit mihi pro ipsa beata vita, voluntas eius; in quam etiam toto composito meo cum spiritu, anima, & corpore resolui exopto; & tanquam aurum in igne liquefactum, in imaginem illius qui creauit me, colliquefcere, & reformari toto corde desidero. & cum ipse solus sit, & nemo possit euertere cogitationem eius, & anima eius, quodcumque voluit, hoc faciat; ego quoque ad nutum voluntatis eius, quam viuacissimè in me sentio, in nidulo meo moriar, à duritia cordis mei, tanquam cera ad beneplacitum ignis diffuens; ac sicut palma multiplicabo dies, quæ omnes temporum iniurias, caloris scilicet, & frigoris, glaciæ, niuis, pluuia, ventorum, & quarumlibet tempestatum, violentibus, & quasi ridentibus folijs, æquali integritate, & constantia sustinet.

Et iure meritò quidem, ò pia anima, tibi est vita in voluntate eius, cum ita Deus molliuerit cor tuum, vt tandem aliquando post tot querimonias, retractiones, & anxietates, nihil vsque adeò in nunc præsentem ita placeat, te foueat, & soletur, quam vt Deus in te expleat omnem voluntatem suam. sicut autem artifex, liquefactis metallis formam quamcumque voluerit, imprimit; sic anima in illo statu, ad omnem diuinæ voluntatis nutum, se facillè applicat: imò spontaneo quodam desiderio, ad omne eius arbitrium seipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat, vt obediat cum Christo vsq; ad mortem;

integra harmonia totius compositi humani, benignè consentiente. quam autem perfectè pia anima in hoc statu Christum Dominum sequatur, iam consequenter dicemus,

*Prinatio hæc rigida est essentialis imitatio passionis Domini nostri Iesu Christi.*

## ARTICVLVS QVARTVS.

**R**ecogitate eum a qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. ac si diceret, ò pia anima, licet omnia quæcumque facis in verbo, & opere, omnia in nomine Domini nostri Christi facias, gratias agens Deo per ipsum; ita vt in omnibus actionibus semper habeas præfixam bonam, ac rectam intentionem, per hoc quod magis, & principalius Dei honorem, & laudem, quam proprium commodum, vel solatium intendas; nihilominus obserues velim, eiusmodi intentionem directè ad incipientes, quique non totis viribus, sed aliquo sui Deum respiciunt, pertinere. iam verò cum amoris deficientia diu perseueret, magisq; indies acceuerit, ita vt tandem in ipsum mare doloris, anxietatis, & tristitiæ proiecta videaris; ne fortè tonitruo magnitudinis Eius suppressa, & in merito inanis, & in patientiando pusillanimitatis reddaris: oportet vt toto desiderio, tota mente, tota voluntate, totoque corde recogites, compa-